

In suis porrò injuriis vindicandis Princeps esse debet lenior. Sicut enim præcisæ arbores plurimis ramis repullulant: ita hoste sublato uno plures prodeunt. Unde princeps illud tyrannicum usurpare cogitur: Oderint, dum metuant.

Tandem dixi, Principem patriæ Patrem esse debere, totam Rempub. debita cura complecti, condolere miseriis subditorum suorum, & laborantem illorum fortunam, quacunq; parte potest, sublevare. Sic omnes Principem in carissimis habebunt, & objectu proprii corporis ipsius vitam redimere studebunt. Optimum siquidem munimentum, Seneca ita censente, nullo munimento egere.

Has virtutes togatas, Auditores, jam applicemus ad nostrum Regem. *Justus is fuit in se*, ut pote quia omnia sua consilia & vicæ instituta ad legem tanquam ad cynosuram veri & boni retulit, nec sibi quicquam indulxit, quod rationi & virtuti non consentaneum esset. Virtutes enim regiæ in horto & viridario animi ejus radices egerunt, & studia sapientiæ ipsum suffultum tenuerunt.

*Justus ipse quoq; fuit in subditos*, quia animum suum rectis consiliis instruxit, justiciæ sceptrum non incurvavit, ac conservavit proportionem omnium ordinum, ne quid dissonaret aut discreparet in regno: & idcirco Senatum habuit, quod non videret omnia, & optimi Reges in nonnullis hallucinarentur: velle se moneri, etiam si quid urgeat obstinatus, & hanc se putare suam victoriā,

am,